MELBER, G.C.F

DE

# MEDULLAE SPINALIS ERETHISMO.

# DE
# MEDULLAE SPINALIS ERETHISMO.

## DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE HEIDELBERGENSI

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI

SUBMITTIT

**GEORG. CAROL. FRID. MELBER,**

MED. CHIR. ET ARTIS OBSTETR. DOCTOR,
FRANCOFURTENSIS.

**FRANCOFURTI A. M.**

TYPIS ANDREAE.

M.D.CCC.XXXVIII.

1838

VIRIS

ILLUSTRISSIMIS, AMPLISSIMIS

ORNATISSIMIS

# FRID. AUG. BENJ. PUCHELT,

## PHILOS. MED. ET CHIR. DOCTORI,

magno Badarum duci a consiliis aulae intimis, prof. publ. ordinar. pathologiae et therapiae, directori institut. clinic. et policlinic. Heidelbergensis, socio honor. univ. imp. Wilnens., societ. med. Dresdens., Lipsiens. et med. publ. Badens., socio ordinar. societ. med. et natur. cur. Heidelbergens., Lipsiens., oeconomicae Lipsiens. et Badens., rei antiquar. dicat. Sinshemiens., socio corresp. acad. reg. med. Parisiens., societ. Wetteraviens., med. chir. Berolinens., Erlangens., Moldaviens. et Rhenan. Mogunt.

# MAXIMIL. JOSEPHO CHELIUS,

**MED. ET CHIR. DOCTORI,**

magno Badarum duci a consiliis aulae intimis, equiti ordinis magni ducis Badarum Leonis Zaringiae et magni ducis Hassiae ordinis Ludovici, profess. publ. ordin. chirurgiae, ophthalmologiae et medicinae forensis, directori instit. clinic. chir. et ophthalmiatr. Heidelbergensis, socio honorario univ. imp. Wilnensis, univ. reg. Pesthiensis; reg. societ. Holmiae, rhenan. Mogunt., soc. med. pract. Berol., med. Boruss. et med. publ. Badens.; socio correspond. academ. reg. med. et societ. anatom. Parisiensis, socio ordinar. societ. medico-chirurg. Berolinensis, societ. med. et natur. cur. Heidelbergensis, Dresdens. et Friburgens., societ. physic. med. Erlangens., Moldaviens. et societ. natur. cur. Senkenbergens. Francof. ad Moenum sodali

**PRAECEPTORIBUS DILECTISSIMIS, QUAM MAXIME VENERANDIS**

**SACRUM.**

# Praefatio.

Parvulus hicce liber ei tantummodo patriae civitatis meae debetur instituto, quo omnibus, qui artem medicam ibi profiteri in animo habeant, ut in quodam infinitae hujus doctrinae argumento publice exponendo scientiae judiciique sui specimen edant, injungitur.

Auctorem non fugit, perfacile fieri posse, ut ipsius quoque libellus ab ingente isto ephemeridum fluctu, quem quotidie magis magisque tumescentem videmus, mox

obruatur et deprimatur, ita ut a rapido vortice semel correptus nunquam fortasse rursus emergere valeat. Jam vero uti quisque, qui ad scribendum cogitur, materiam quandam circumspicere solet non nimis vulgarem tritamque et ita comparatam, ut eam penitius cognosci scientiae ab una aliave parte interesse possit, sic mihi etiam quam maxime exoptandum videbatur, ut tali potissimum in argumento voluntati certe meae satisfacere liceret. In ea igitur, qua eram, dubitatione ad praeceptoris clarissimi, quem maxima amplector reverentia, Puchelti consilium jam dudum spectatissimum confugiendum mihi esse existimavi. Abs quo ductus scribendi materiam mihi sumsi eam, ut de istis dorsi doloribus, qui ex medullae spinalis erethismo proficisci videntur, paucis dissererem. Qua in re facere non potero,

quin earum etiam opinionum rationem habeam, quae a mea differunt, quamquam eas longius persequi per libelli hujus ambitum et finem non liceat.

Nunquam vero me latuit, quantis cum difficultatibus expositio rei tam obscurae adhuc et lubricae conjuncta sit. Et profecto principio statim ab incepto meo destitissem, nisi indulgentiae praeclarissimorum istorum virorum confiderem, penes quos de modesto hoc opusculo primum judicium erit. Itaque non sine quadam animi timiditate munusculum meum arae patriae impono, cui multa jam praeclara et egregia consecrata sunt.

Qua in occasione temperare mihi non possum, quin praeceptoribus dilectissimis, Puchelt et Chelius, gratias agam quam maximas, quippe qui non solum mihi per-

miserint, ut privatis ipsorum bibliothecis uterer, sed etiam infra allatas de morbo nostro observationes liberalissime mecum communicaverint. Nec minores Illustrissimo Stiebel, fautori benevolentissimo, gratiae debentur meae, quod libros, qui ad rem meam pertinent, munificentissime utendos mihi concesserit.

*Dabam Heidelbergae pridie Cal. Septembr. 1838.*

# Introductio.

Ultimis decenniis quum clarissimorum virorum ingenio contigerit, anatomiam pathologicam ad honorem dignitatemque evehere, in morbos etiam spinae dorsalis accuratius et diligentius inquiri coeptum est. Inde ab hoc tempore patefactum, multo saepius quam antea quisquam suspicatus erat, mutationes evenire earum partium, quae columnam vertebralem constituunt; quin etiam multae, ut medullae malacia et tuberculi tum demum detectae, aliae ut inprimis spondylarthrocace magis magisque illustratae sunt. Idem fere capitis, pectoris, abdominis evenit morbis; homoplasiae, heteroplasiae, atrophiae, hypertrophiae reperiebantur. Nova plane tunc incepit literarum aera, nec ulla est ratio, cur quisquam miretur, quod hominibus exinde in mentem venerit, cujusque morbi, qualicunque sub forma apparuerit, causam in aliqua materiae mutatione esse

positam, omnesque eos, quorum corporea ejusmodi causa nondum observata sit, parum perspectos et cognitos esse habendos.

Quae consuetudo, in materiae favorem meri dynamismi fines magis magisque circumscribere, non raro homines induxit, ut mala etiam nervosa, quae tamen eadem fere symptomata prae se ferunt ac morbi, quos corporeos esse constat, organica haberent. Quin ejusmodi vero turbationes dynamicae re vera occurrant, nemo erit qui dubitet, nisi qui innumeram istarum, quae hypochondriacae et hystericae vocantur, affectionum multitudinem e materiarum variarum, quae corpus nostrum efficiunt, abalienatione quadam derivare velit, aut is, qui animi vim et indolem vel materiae subnoxiam, vel analogam plane arbitretur.

Quae quum ita sint, operae pretium facturus mihi videor, si in memoriam revocavero, ea etiam mala, quae circa spinam dorsalem animadvertuntur, non omnia e manifesta quadam ejus laesione nasci, nec indignam quaestionem judico eam, ostendere, quo modo mutationes organicae a dynamicis distingui possint. Quam tamen quaestionem a modico nostro ingenio affatim exponi non posse, inde a principio persuasum nobis erat, et eam ob causam quam maxime optandum videtur, ut viri spectata scientiae fama florentes mox hanc rem dignam judicent, in quam diligentius inquirant.

## Synonyma.

Stiebel [1]) eas, quas hic explicare studemus, affectiones in genere neuralgiae myeliticae sive rhachiticae vocabulis designat.

Ab Abercrombio [2]) indefinite plane obscura et abnormia nuncupantur mala, quae multa symptomata morborum spinae dorsalis propria ostendant.

Enzius [3]) porro, ut veram hujus morbi naturam in medio relinquat, de affectione tantum spinae dorsalis loquitur, sed ita, ut hic illic de statu quodam inflammatorio, praesertim medullae ipsius, cogitare videatur.

---

1) Kleine Beiträge zur Heilwissenschaft. Frankfurt 1823. Ueber neuralgia rhachitica und das Symptom des Gegensatzes. In Rust's Magazin für die gesammte Heilkunde. Sechszehnter Band, drittes Heft, S. 549. 1824.

Ueber Chorea. In Casper's Wochenschrift für die gesammte Heilkunde. Januar 1837.

2) Abercrombie's pathologische und praktische Untersuchungen über die Krankheiten des Gehirns und Rückenmarks. Aus dem Englischen von Gerhard van dem Busch. Bremen 1829.

3) Beobachtungen über mehrere der symptomatischen Krankheitsformen, welche bei Empfindlichkeit einer grösseren oder kleineren Stelle der Wirbelsäule vorkommen. Aus den Erfahrungen des Amtsarztes E. Enz. Rust's Magazin, Band 41, Heft 2, S. 195, und Band 44, Heft 1, S. 43, und Heft 2, S. 204.

Hinterberger [1]) morbum a nobis descriptum ab aliis spinae dorsalis vitiis non distinguit, sed omnia sub communi rheumatico-arthriticae artuum vertebralium aut medullae spinalis inflammationis nomine complectitur, ita ut, si rem accuratius inspexeris, synonymum nullum apud eum inveniatur.

John Marshall [2]) verbo utitur: „spinal irritation"; uterque Griffin [3]): „functional disorders of the spinal cord."; Teale [4]): „neuralgic diseases, dependend upon irritation of the spinal marrow and ganglia of the sympathetic nervs."

---

1) Beiträge zu den Rückgratskrankheiten in Ehrhart's medizinisch-chirurgischer Zeitung. Band 3, No. 54—66. 1828.

Mehrere Geschichten von wichtigen Krankheitsfällen. Heidelberger klinische Annalen. Band 5, Heft 3. 1829.

Abhandlung über die Entzündung des Rückenmarks und Beiträge zur Erforschung der Cholera morbus. Linz 1831.

2) Practical observations on diseases of the heart, lungs, stomach, liver etc., occasioned by spinal irritation. By John Marshall. M. D. London 1835.

3) Observations on functional disorders of the spinal cord and their connexion with hysteric, nervous and other diseases etc. By Wm. Griffin. M. D. and Griffin M. R. C. S. Limerik. In the London medical and physical journal. 1829 and 1830.

4) A treatise on neuralgic diseases etc. (V. supra.) By Thomas Bridgen Teale. Ibidem, Decemb. 1829.

Brodius [1]) mirum hysteriae localis vocabulum eligit, et Albers [2]) de adaucta medullae spinalis sensibilitate loquitur.

## Morbi descriptio.

Morbus, quem in sequentibus explicare conabimur, primum dorsi doloribus se prodit, qui modo majorem, modo minorem columnae vertebralis partem invadunt, et usque ad diversum vehementiae gradum intenduntur. Plerumque virgines et uxores, multo rarius adolescentes hoc malo afficiuntur, et personae ex eo laborantes ad unam fere omnes ad honestiores societatis ordines pertinent. In universum hic dolor surdus, gravans, terebrans vel formicans est, nec item pungens vel urens. Raro uno tenore saevit, sed plerumque incertis intervallis desinit, et eodem modo, breviore aut longiore tempore interjecto, revertitur. Etiamsi hic sensus molestus spatio, quod capit, differre solet, rarissime tamen in una solummodo vel aliquot vertebris cohibetur, sed per regionem satis longam aut aequabiliter sese

---

1) Ueber locale Hysterie, von Sir Benjamin Brodie. In Analekten der speciellen Pathologie und Therapie, herausgegeben von Bressler und Jacobson. Band 1, Heft 1, S. 88.

2) Beobachtungen auf dem Gebiete der Pathologie, gesammelt von Dr. J. F. H. Albers. Theil 2. Bonn 1838.

extendit, aut ita, ut intra certos quosdam fines plane non sentiatur, in utroque autem latere manifesto se ostendat.

Propria plane maximique momenti ad naturam horum dolorum recte dijudicandam ista est mobilitas, qua modo brevibus temporis intervallis ab altera ad alteram columnae vertebralis partem transeunt, modo continua vicissitudine sedem permutant. Quod ad locum attinet, quo rhachialgia oriri solet, ex auctorum praeclarissimorum, Brodii praesertim et Abercrombii observationibus colligitur, saepissime partem lumbalem et ossis sacri regionem, rarius partem thoracicam ab ea tentari; portionem contra cervicalem rarissime hujus infirmitatis esse sedem.

Ceterum extrinsecus in dorso nullum mutationis vestigium animadvertitur, et tangendo neque elevatio, neque incurvatio quaedam observari potest. Communia tantum integumenta nonnunquam aliquam a statu integritatis monstrant declinationem, quum modo rubicundum colorem et aestum, modo lividum colorem frigusque ostendant. Quae coloris frigorisque vicissitudo Brodio auctore hunc in modum evenire solet, ut mane frigus incedat, meridiano fere tempore calor subire incipiat, qui sub vesperam usque ad ardorem intendatur.

In hoc stadio morbus, modo ad meliora, modo ad deteriora versus, saepe per menses, immo per annos subsistit, quin casus secundarios efficiat ullos. Non semper vero hoc ita fit, sed

isto spinae dorsalis vitio haud raro longa symptomatum morbosorum series gignitur, quae tamen non omnia in una eademque aegrota apparent, sed e majore demum aegrotantium numero cognosci possunt. Etenim id proprium affectionis hujus dorsalis est, quod singuli casus magnam symptomatum prae se ferunt varietatem. Creberrima tamen quaedam est initio exigua et in dies augescens inferiorum membrorum imbecillitas, quae ingressum difficilem reddit. Haec cum dolore quodam per totam crurum pedumque longitudinem descendente et cum spasticis musculorum contractionibus conjuncta est. Quae posteriores choreae jactationibus simillimae interdum in convulsiones transeunt adeo vehementes, ut, facultate commode cubandi sublata, aegrotam omni quiete privent. Alias spasmi voluntariorum musculorum tonici oriuntur, quin etiam status vere tetanicus. Tum femora a spasmo ad ventrem infimum et crura ad femora trahuntur, et aegrotae ipsae ad naturalem ea conditionem ducere nequeunt. Quod si quis vi efficere conetur, Abercrombio teste magnae virium contentioni interdum contingit, ut pedes satis fortiter extensi repentino impetu ad positionem rectam redigantur; sed punctum tantum temporis in ea permanent, quo elapso in pristinam resiliunt.

Interdum, sed multo rarius superiora etiam membra ab ista imbecillitate aliisque malis commemoratis eundem in modum petuntur.

Dein respirationis etiam organa afficiuntur, et quidem sic, ut pectoris oppressio, dyspnoëa, cordis pulsationes atque palpitationes sentiantur, nonnunquam etiam spastica et sicca tussicula oriatur, identidem augescens.

Tractui quoque intestinorum fere nunquam parcitur, cui rei, si nihil aliud, dolor profecto iste, qui semper fere in scrobiculo cordis animadvertitur, argumento esse potest. Interdum hoc malum usque ad veram cardialgiam intenditur, in paroxysmis revertentem. Alias tormina vehementissima aegrotam vexant.

Symptoma, quod saepissime recurrit, alvi est obstipatio, quae saepe cum tympanitide conjuncta hebdomade diutius durare potest. Quae tympanites medicos non satis accurate intuentes falso in hydropis ascitis suspicionem inducere potest.

Interdum chronicus etiam omnium ciborum vomitus observatur.

Ut alvi, sic urinae quoque excretio saepe diminuitur. Cujus enim copiam justo minorem per hunc morbum reddi contra virorum doctorum, qui hac de re scripserunt, Enzii praesertim et Ollivieri [1]), dissensionem firmissime asseverare audemus. (V. observationem primam, quae infra adjecta est.) Id vero inter omnes fere

---

1) Traité de la moëlle épinière et de ses maladies. II^me édition. Paris 1827.

constat, urinam intervallis solito longioribus, interdum tribus quatuorve diebus semel tantum et quidem post molestum nixum mitti, sicut in statu vesicae paralytico fieri solet.

Saepe morbus aliam induere videtur naturam. Tum imbecillitas membrorum, praesertim inferiorum, paulatim augescens, nunc prius, nunc tardius, surditate atque torpore praegressis, in perfectam paralysin transit. Quo facto miserae immobiles plane dorso incubant, et eo magis misericordiam nostram movent, quod integris plane animi facultatibus utentes de salute sua ipsae desperare videntur. Paralysis non raro tam perfecta est, ut aegrotantes per plures saepe menses continuos ne digitum transversum quidem loco se movere valeant.

Sensibilitas contra in membris debilitatis nunquam exstinguitur, sed saepenumero concitatior esse pergit, ut initio morbi erat.

Cephalalgiae quoque formae diversae, praecipue qui dicitur clavus vel ovum et occipitis dolores, qui quodammodo rhachialgiam linea quadam continua propagant, hoc medullae spinalis vitium complicare solent. Nec raro ipsius cerebri actio impeditur, conscientia aut propter dolorum vehementiam, aut propter imbecillitatem ex parte vel omnino evanescente, ita ut aegrota uno saepe die crebra animi deliquia patiatur. Quod ad systema vasorum attinet, id nunquam fere hoc morbo afficitur. Arteriarum ictus ex

temperamento et peculiari cujusvis indole differt. Qua in re id tamen tenendum est, personas potissimum tam sensibiles, quam eae, de quibus hic est sermo, repentinae arteriarum excitationi facillime esse subnoxias, et eam ob causam vehementiore doloris dorsalis impetu arteriarum pulsum aliquanto posse accelerari. Sic frigoris etiam et caloris vicissitudo sentitur, sed febris propria, quae diutius permanens e certo quodam typo exacerbet remittatque, nunquam inde exsistit.

Maxime autem admirandum harum affectionum est id, quod, postquam ab omnibus artis subsidiis frustra impugnatae longum per temporis spatium aegrotas miseras cruciaverint, omnino interdum et in omne tempus evanescant. Hoc de primariis potissimum vitiis valet, de rhachialgia nullis cum symptomatibus secundariis conjuncta, sed in neuralgiis etiam commemoratis pectoris, abdominis vel membrorum fieri solet. Membrorum tamen paralysin quoque et imbecillitatem vesicae sola vi naturae medicatrice nonnunquam tolli haud inauditum est.

Prospera ista morbi mutatio aut dum graviora symptomata evanescunt, nec nisi longioribus intervallis revertuntur, paulatim, aut subito evenit, ita ut inter dolorum diminutionem et valetudinem plene restitutam nihil fere temporis intersit. Quod postremum si fit, saepe nulla causa ejus rei idonea detegi potest; interdum vero talem causam accipere debemus gravem quendam aut animi aut

corporis motum. In hunc enim finem alias phantasia agit, in certa quadam medendi ratione spem salutis ponens; alias aegra pars ipsa fortuitam quandam percussionem perpessa diuturno isto malo liberatur. Quam rem memorabilem Brodie multis ejusmodi exemplis, quae ipse observavit, comprobare studet.

Haec est morbi, quem explicare nobis est in animo, levis adumbratio. Similes plane affectiones in artubus majoribus quoque, coxendice praecipue et genu occurrere Brodie in secunda libri, quem de artuum morbis conscripsit, editione primum demonstravit. Tum symptomatibus suis, dolore praesertim, qui tactu augetur, et partium mollium tumore non raro in eum errorem inducunt, ut ossa, cartilagines vel membranas synoviales organico quodam vitio affectas esse arbitrere. Haud dubie interdum evenit, ut ambae affectiones, et spinae dorsalis et unius istorum artuum, conjunctae appareant; plerumque autem fit, ut istius modi malum e prima ipsius sede metastatice in regionem oppositam transeat, ita ut quod primum artus vitium erat, spinae dorsalis esse incipiat.

## Aetiologia.

Non fere quisquam ignorabit, multo esse facilius, singula cujusdam morbi symptomata diligenter con-

quirere, quam communem eorum causam ex iis ipsis eruere. Nam hoc nihil aliud sibi vult, quam ut ostendas, e qua aut materiae, aut efficaciae ejus mutatione cuncta ista indicia pathologica profecta sint.

Nemo sane erit, quin intelligat, quanti recta istius rei cognitio sit momenti, quippe qua tota aegrae tractandae ratio inniti debeat.

De nostri etiam morbi origine atque natura diversae exstiterunt medicorum sententiae, quarum summam hic proferre liceat. Anteaquam vero earum opinionum enumerationem persequi aggrediamur, paucis verbis exponere conabimur, quale nobis ipsis hac de re judicium ferendum esse videatur.

Etenim id omnino nobis persuadere non valemus, aliquam istarum affectionum e corporea sive medullae, sive membranarum, quae eam involvunt, sive ossium cartilaginumve vertebralium immutatione proficisci, sed communem earum causam in dynamica systematis nervorum imprimis spinalium corruptione ponendam esse censemus.

Erethismi vocabulum eam ob causam adoptavimus, quod per hunc morbum in omnibus iis columnae vertebralis partibus, ubi prima hujus mali initia conspiciuntur, quaedam solito major sensibilitas animadvertitur, quae remotiores etiam corporis regiones, ut membra, stomachum etc., incedere solet. Irritationis nomen, quo quidem

multi auctores, ut GRIFFIN uterque, MARSHALL et alii utuntur, nobis non plane idoneum videbatur, propterea, quod cum eo — ex solito loquendi usu, — quin inflammatorii vasorum turgoris notionem conjungamus, facere non possumus, quam tamen in nostro casu omni cura removendam esse nobis persuasum est.

Id profecto primum reputanti mirum videri poterit, quod si dynamica illa turbatio re vera in medulla sedem habeat, dolor tangendo demum augeatur, immo efficiatur. Sed hoc infirmare non potest sententiam nostram, quum in aliis etiam vitiis similia animadvertantur phaenomena, et magnopere dubia esse videatur ea opinio, ex qua medullam ipsam, sive capitis, sive columnae vertebralis, quendam unquam dolorem movere posse concedatur. Quis accurate dispicere valet, qua potissimum in parte dolor capitis sedem habeat? Et est quaedam cephalaea, similia fere prae se ferens symptomata ac nostra spinae dorsalis affectio, clavum dicimus hystericum in feminis sensibilioribus saepissime occurrentem. Tum etiam levissimus aegrae capitis regionis tactus intolerabilem fere commovet dolorem, quum fortior ejus pressus aliquanto minus aegrotam afficiat: quod idem rhachialgia nostra fieri solet. Quapropter eam amplecti debemus sententiam, verum dynamici hujus vitii focum semper in medulla columnae vertebralis esse ponendum, sed sine ulla exceptione id etiam in alio corporis loco ad lucem erumpere; pro-

pagationem vero ipsa nervorum conjunctione fieri, et ita quidem, ut morbus ex propria sua sede aut ad sensibilitatis, aut ad motus provinciam transplantetur. In casibus levioribus primumque cutis solummodo dorsalis nervi afficiuntur, quippe qui magnum doloris gradum sub integumentorum communium tactu et spontaneam illam quoque molestiam efficiant, nisi quis hanc postremam e medulla ipsa dynamice turbata derivare malit. Morbus ubi longius processit, in membris nervorum actio impeditur, aut etiam omnino tollitur. Nam ut supra vidimus, in iis aut magnus tantum doloris gradus exsistit, aut involuntarii eorum fiunt motus, ut spasmi, chorea, convulsiones vel tetanus etiam plane manifestus, aut tandem, sive inde a morbi principio, sive nonnullis commemoratorum symptomatum praegressis, minor majorve paralysis exoritur. Ceterum neuralgias simili modo in aliis etiam regionibus, pectore praecipue et abdomine, isto medullae erethismo commoveri supra significavimus. Semper vero et hic nostra quidem sententia malum in dynamice mutata eorum organorum functione continetur, ad quae nervorum aegre affectorum ramuli extenduntur; nam illa quidem opinio, quam viri etiam eruditissimi amplexi sunt, nobis nullo modo probari potest, secundum quam multae corporearum, quae organis in pectoris et abdominis cavo positis accidere possunt transformationum, ex sola „nervorum spinalium irritatione" derivantur.

Porro quod ad aetiologiam peculiaris nostrae rhachialgiae attinet, jam primum videmus, eam non nisi in sensibilioribus utriusque sexus personis occurrere, quamquam in puellis feminisque aliquanto crebriorem. Nisi igitur quis hysteriae vocis ab ὑστέρα derivationem nimis urgere vellet, (et in doctrina medica talem etymologiae severitatem non nimis usitatam esse vix est cur moneam) nos quidem non dubitaremus, istos dorsi dolores hystericorum nomine insignire. Quod tanto commodius fieri poterit, quod e recentioris pathologiae praeceptis hoc vitium multiforme ad totum nervorum systema pertinere statuitur, nec tam arcte cum organis generationis muliebribus conjungi solet, quam antea erat solemne. Alias etiam affectiones talibus simillimae, quae vulgo in feminis hystericae perhibentur, in adolescentibus occurrere experientia docet.

Esse tamen posse rhachialgiam e turbatione medullae mere nervosa pendentem nemo negabit vitiorum hystericorum satis peritus. Nonne feminae hoc malo laborantes nunc de hujus, nunc de illius partis dolore et imbecillitate queruntur, quin malum quoddam corporeum, inflammatio e. gr. accipi possit? Nonne hae molestiae saepenumero aeque celeriter evanescunt, ac subvenerant, et multo quidem celerius, quam organici morbi notio patitur? Quare igitur non similes plane dolores spinam etiam dorsalem aggredientur? Et profecto diligentius investiganti

compertum erit, varia hysteriae symptomata plerumque dorsi doloribus praecessisse, aut certe totum aegrotae habitum propensitatem quandam ad nervorum irritationem ostendere.

Nec minus ea res attentione quam maxime digna est, quod nostra medullae spinalis affectio honestiorum tantum societatis ordinum propria est. Id enim constat, in his praesertim diversissimas occurrere affectiones hystericas, ita ut perpaucae feminae altiore loco natae inveniantur, quae omni hysteriae vestigio careant.

Brodie narrat, se de natura vitiorum artuum, qualia crebro in personis sensibilioribus reperiantur, diu dubitasse, donec eorum cum hysteria complicatio saepius observata ipsum de hac re certiorem fecerit.

Jam ut, id quod omnium antiquissimum habemus, probare possimus, morbum spinae dorsalis descriptum non ex organica quadam pendere mutatione, cadaverum dissectionibus opus foret quam diligentissime factis. Quarum autem perpaucas tantum exstare, eo ipso declaratur, quod istud malum per se raro tantum mortem efficit, sed semper fere, si idoneis remediis succurratur, sanari potest.

Nonnullas tamen observationes habemus de morbo nostro [1]), ubi aut post longum annorum

---

1) Abercrombie, l. c.

decursum, aut repentino quodam casu intercedente, morte finitus est. In cadaverum sectione autem nullum materiae mutationis, nullum vel congestionis tantum neque in medulla spinali, neque in cerebro vestigium inventum est. Praeceptoris maxime reverendi, Illustrissimi CHELIUS benignitate talem observationem adjungere valemus.

Sed praeterea dorsi dolorum intermissio, quae in prioribus morbi stadiis semper fere evenit, itemque eorum mobilitas non parum repugnant, quominus inflammationem, aut humoris exsudationem, aut aliud quoddam substantiae medullaris vel meningum vitium eorum esse causam statuamus. Quae opinio non minus infirmatur eo, quod hujusmodi dolores, qui satis diu jam duravere, immutata repente systematis nervorum conditione, vel parte aegra extrinsecus qualicunque modo fortius affecta, necopinato evanescunt.

Postremo, ut sententiam nostram magis stabilire possimus, descriptione libelli paululum omissa, de ea morbi nostri curandi ratione loquendum erit, quam ad ejus naturam accommodatissimam esse experientia docuit. Quam quum attenderimus, primum animadvertemus, remedia antiphlogistica, localem praecipue sanguinis detractionem, quae inflammationibus circa columnam vertebralem opprimendis unice inserviunt, in nostro casu nullam plane utilitatem praebere. Sic fortes etiam in cutem derivationes parum efficaces esse medici clarissimi, CHELIUS, ABERCROMBIE, BRODIE testantur.

Quae omnia in unum conferenti non dubium amplius videbitur, nullo modo hic de medullae aut partium attingentium mutatione cogitari posse; sed morbi potius, de quo agitur, causam quadam substantiae nerveae actionis aberratione contineri. Quae quum ita sint, minor tamen medicorum, qui de hoc malo scripserunt, numerus hanc in sententiam abiit. Plerique singula rhachialgiae genera aut omnino non, aut non satis distinguunt, sed ex usu a majoribus accepto quemque dorsi dolorem, praesertim si inter tangendum crescit, ex inflammatione derivare et propterea antiphlogisticis impugnare consueverunt. Hac ipsa re qui observationes ab his viris scriptas in usum suum vertere velit, maximopere impeditur, quominus verum de morbi natura judicium sibi formet. Alii, quamquam hystericae spinae dorsalis affectionis symptomata diligentius congesserunt, consulto tamen recusare videntur, ne de causa naturaque ejus certam sententiam proponant, id quod Marshallio imprimis occurrisse videtur.

Multo autem majus detrimentum scientiae conflatum est ex prava nonnullorum cupidine, qua ducti, systema qualecunque ut condant, incertis plane vagisque conjecturis ignota morborum symptomata explicare student. Qui etiamsi in aetiologia et in notione morbi recte constituenda non admodum essent versati, infirmis tamen hisce fundamentis mirum plane conclusionum aedificium

superstruxere, quarum postremo nullus erat finis. Enzii potissimum et Hintenbergeri animadversiones dicimus.

Quod si vero ad priora tempora revertimur, jam pridem a nonnullis clarissimis medicis status morbosos invenimus observatos, qui, quamquam e medulla spinali proficisci videbantur, propter peculiarem tamen ipsorum naturam ad nullam classium receptarum redigi poterant. Quae tamen observationes singulatim nimis prolatae erant, quam ut majori medicorum multitudini innotescere potuissent. Sic Lüdwig [1]) jam putabat, nonnullas affectiones hystericas et hypochondriacas ejus medullae partis, qua nervi intercostales oriuntur, effici irritatione, et vehementes istas rhachialgias cum torminibus nonnunquam conjunctas ex vitio quodam medullae lumbalis, nervo sympathico intercedente, commoveri.

Astruc [2]) dorsi dolores, qui colicam pictonum interdum comitantur, ex integumentorum medullae derivandos censuit vitio, cavum eorum tum aqua esse repletum arbitratus. Quapropter colicam pictonum rhachialgiae saturninae nomine insignire solebat.

Novissimo demum tempore Abercrombie, vir summi ingenii, cujus memoria in scientiae medi-

1) Tractatio de doloribus ad spinam dorsi. In advers. med. pract. Tom. 1. pag. 711.

2) Quaestio med., an morbo colicae pictonum, rectius rhachialgiae, vena secanda.

cae historia maxima semper fama florebit, in egregio suo de cerebri et medullae spinalis morbis libro ad obscura quaedam et abnormia mala digitum intendit, quae multa vitii medullae spinalis symptomata ostenderent. Isto sub nomine morbum nostrum cum plerisque ipsius sequelis praeclare plane describit. Neque negari potest, illum jam ad eam propensum fuisse opinionem, ut causam hujus miseriae non in inflammatione, minime vero in structurae meningum vel medullae mutatione quadam poneret. Immo sectionis cujusdam mentionem facit, in qua, ut in compluribus aliis, nullum morbi vestigium neque in medulla, neque in vertebris reperiri poterat, quamquam ipse hunc casum non inter eos refert, quos sub ista descriptione comprehendit; quem tamen huic classi attribuere nos quidem non dubitaverimus [1]).

Praeterea auctor prae ea, qua erat, modestia nobis fatetur, se non primum in harum affectionum suspicionem incidisse, utpote quas Burns et Guerin jam ante se sub nomine cerebri et medullae spinalis descripserint irritationis. Quorum virorum scripta quod ad manus nostras non pervenerint, summopere dolemus.

Sed nonnullis annis anteaquam Abercrombie librum suum ediderit, Illustr. Stiebel [2]) jam expo-

---

1) Casus CXXXVIII in libro s. allato.

2) L. c.

nere conatus est, multiformia frequenter symptomata, quae in diversissimis corporis partibus apparerent, originem ducere e quadam spinae dorsalis affectione. Ejusmodi symptomata, quia locus originis ipsorum ab iis regionibus distaret, in quibus se ostendere solerent, et quod nihil locum geneseos indicaret, oppositionis symptomata appellavit.

Verbis gravissimis edocere studebat, quanti sit momenti et quantae difficultatis, verum mali incipientis focum cognoscere, quippe quum saepe hoc tantum tempore ratione idonea adhibita sanari possit.

Inter talia oppositionis symptomata neuralgias pectoris, abdominis et membrorum refert, quae aut sensim in surditatem, anaesthesiam, imbecillitatem paralyticam vel in paralysin ipsam transeant, aut spasmos et motus musculorum gignant involuntarios.

Eam vero de medullae spinalis affectione proponit sententiam, levem vertebrarum quandam fieri inflammationem, materiae incrementum vel laxationem, qua mechanicus quidam pressus medullae inferatur. Quem tamen primum certe in loco aegro non apparere, sed ejus sensum per nervos inde profectos ad fluidi electrici instar propagari, nec nisi in terminationibus eorum periphericis sub vehementis neuralgiae forma percipi. Veram igitur horum dolorum sedem pro loco medullae presso diversam esse debere.

Ut vero structurae quandam vertebrarum mutationem statueret, Illustr. Stiebel eo inductus est, quod dolor premendo aut primum animadverteretur, aut certe augeretur. Quin etiam contendere non dubitavit, choream semper e quodam inter medullam ejusque membranas et inter osseam ejus capsulam dissensu esse derivandam, qui ipsius pubertatis tempore eveniat [1]. Quae tamen de corporeis illis abalienationibus conjecturae accuratiore indagatione cadaverumque sectionibus postea refutatae sunt.

Affectionum autem commemoratarum symptomata quum miram quandam cum nostra rhachialgia ostendant similitudinem, non dubitamus viri praeclarissimi observationibus in nostrum finem uti, sed ita, ut aliam interpretandi viam ingrediamur. Ex auctu vero doloris, qui tangendo fit, vertebrarum quandam inflammationem colligi non posse, inde patet, quod meningum etiam et medullae ipsius inflammatio ex eodem symptomate cognoscitur, etsi hi morbi inter tangendum minorem quam erethismus noster ostendunt dolorem. Sed id nemini dubium fore speramus, quin hic etiam erethismus majorem sensibilitatis gradum gignere possit.

Unum tamen est, quod cum Illustr. Stiebelii opinione vix conciliari potest, magna scilicet ista

---

1) Casper's Wochenschrift etc. v. s.

doloris mobilitas. Etiamsi enim Illustr. STIEBEL eam agnoscit, in RUSTII thesauro vol. XVI. p. 552 haecce proferens: „saepe incipiente morbo dolorosus vertebrarum tumor locum mutat et cum eo neuralgia", non facile tamen quisquam animo fingere poterit, quomodo ejusmodi mutatio vertebrarum corporea, quamquam oriens, tanta celeritate hic evanescere et illic apparere possit. Sed largiore expositione libenter supersedeamus, ad librum provocantes CAROLI WENZELII [1]), qui amici sui sententiae universalem quandam tribui posse auctoritatem aliquatenus in dubitationem vocat. OLLIVIER [2]) in eandem sententiam abit, dicens, se in sectionibus hominum chorea, quae dicitur rhachitica, mortuorum diligentissime factis ne minimam quidem aut vertebrarum aut medullae meningumve alienationem animadvertisse.

Postremo, si ad doctrinas attendamus, de medullae spinalis et integumentorum ejus vitiis tempore novissimo ab ENZIO, HINTERBERGERO, GRIFFINO utroque, TEALEO et MARSHALLIO propositas, jam primum libere profitendum est, hos viros nobis quidem justos fines non parum excessisse videri. Tum etiam minima pars praeceptorum, quae ambo priores proferunt, ad no-

---

1) Ueber die Krankheiten am Rückgrate. Bamberg 1824. S. 410.

2) L. c.

stram rem quidquam faciunt, quum singulas spinae dorsalis affectiones non distinguant, sed omnes sub uno titulo comprehendere et eodem omnes modo tractare conentur.

Jam quod in doctrina medica semper fere accidere solet, ut novae cujusdam doctrinae propositae vel inventionis factae fines undique amplifiare, immo egredi studeant homines, persuasi, inde omnes artis obscuras quaestiones illustratum iri; idem factum esse videtur in ista „medullae spinalis irritatione" nuperrime detecta. Quam ad summum systematis sui principium evehere non dubitaverunt nonnulli.

Ubicunque Enz et Hinterberger in tangendo vel premendo columnae vertebralis animadverterant sensibilitatem, hoc symptoma e rheumatico quodam spinae dorsalis vitio derivaverunt. Quod ad naturam ejus vitii attinet, Enz eam plane in medio relinquit, Hinterberger vero in rheumatico-arthritico artuum vertebralium inflammatione eam ponendam esse censet. Ut vero in omnibus istis, quae afferunt, morborum generibus spina dorsalis re vera tentata fuerit, tamen non parum temerarium videtur, hanc ipsam affectionem omnium, de quibus loquuntur, valetudinis corruptionum causam accipere, quum isti dolores ex alia ratione proficisci possint, nec raro profecto proficiscantur. Sic illi medici non dubitarunt, inflammationes magnorum vasorum, ut aortae, venae cavae et cordis ipsius, vitia organica cor-

dis, pulmonum, hepatis, lienis etc., eorundem organorum heteroplasias, ut tuberculos etc., ex ista spinae dorsalis affectione derivare. Explicandi vero ratio, qua Hinterberger utitur, haec fere est.

Irritationem putat inflammatoriam vel inflammationem ipsam eorum nervorum parium, quae ex aegro spinae dorsalis loco exeunt, per crebras anastomoses ad systema gangliorum et imprimis ad ejus centrum propagari. Quum vero plexus solaris vasa, quae stomacho, hepati et lieni sanguinem adducunt, tenerorum ramulorum reti cingat, haec etiam vasa statum inflammatorium perpeti, et eo modo organa etiam cum iis conjuncta variis vitiis, inflammationi maxime, nec minus hypertrophiae multisque formationibus anomalis subjici posse. Sic tantummodo formarum multitudinem explicari posse, sub quibus haec columnae vertebralis affectio apparere soleat. Praeterea contendit, pressum istum in scrobiculo cordis e nulla alia re pendere, nisi ex illo centralium systematis gangliosi nodorum statu inflammatorio.

Sed profecto longius nos deduceret a parvulae hujus dissertationis argumento, si omnes morbos enumerare vellemus, quos isti auctores ad eam quam dicunt medullae spinalis affectionem referunt, aut potius ex ea derivant. Quapropter non nisi summa opinionum momenta attingere nobis licet.

Videmus enim, illis viris suffecisse, quantulamcunque hujus illiusve vertebrae detegisse sub tactu sensibilitatem, ut propriam illam spinae dor-

salis affectionem statuerent, et alia mala contemporanea, qualibuscunque symptomatibus insignita, ex ista nata perhiberent.

Ubi vero homines semel animo finxere, medullam spinalem tam facile a normali sua conditione decedere, mox eos eo devenire necesse erat, ut, quoniam ea per nervorum ramulos cum plerisque corporis partibus intime cohaereret, omnia fere organismi humani vitia inde derivarent. Quae autem ad eam sententiam stabiliendam proferuntur, turbatione quadam naturalis aeque medullae spinalis ac originum nervorum conditionis corporeas fieri posse mutationes in iis organis, quibus aegra medullae pars respondet, ea omnia vana plane perhibemus, dum a physiologia ratione neutiquam-dubia comprobentur. Profecto non inglorium tantum, sed scientia etiam plane indignum videtur, conjecturas excogitare, quae hujusmodi cuidam principio, quod ab omni probabilitate, ne dicam argumento, alienum est, superstruantur; temerariam autem arbitramur eam rationem, qua multi, suae ipsorum doctrinae nimium confisi, viam quandam medendi ingrediuntur, menti non obcaecatae directe oppositam. Quis Enzio duce eam tantum ob causam dysenteriam mercurio dulci tractare audeat, quia inflammatorium medullae spinalis statum suspicetur? Quis unquam idoneum et consentaneum existimavit, diversissimos morbos iisdem remediis, fortibus in cutem dorsi derivationibus, hirudinibus, validis

antiphlogisticis, ut venae sectionibus, nitro et calomelana aggredi, ut Enz fecit?

Novam vero istam doctrinam naturali hominum ignaviae quam maxime accomodatam esse liquet. Jam non operae pretium est, singula omnia morbi symptomata atque momenta ad unam notionem referre, ita ut tanquam quaedam ejus imago componatur; illa nimirum medullae spinalis affectio omnium omnes morborum causas aperire valet. At si quis interroget, ex quibus indiciis isti auctores medullae vitium cognoscere sibi videantur, semper semperque ad illam in tangendo et premendo sensibilitatem iis confugiendum est. Aegrotus vero ipse extrinsecus intactus plerumque nihil vel parum sentiebat doloris. Quem quidem fortuitum plane et cum proprio morbo non magis conjunctum esse posse, quam ut utrumque fortasse eadem ex causa, ut refrigeratione, proficiscatur, nemini erit dubium. Itaque rationem inspiciemus, qua ad hunc dolorem cognoscendum uti solent. Aegrotus si paulo sensibilior est, medicus et processus spinosos durius premendo et saepius sciscitando facile eum in suspicionem periculi inducere potest. Qua imbutus quemque sensum injucundum existimabit dolorem, quin re vera causa quaedem adsit.

Enz et Hinterberger passim in libris suis de dolore admodum levi loquuntur, sed opinione ipsorum temere concepta pleni et hic de medullae vitio cogitavere. Nos contra in plerisque earum

observationum, quas publice proposuere, nullam medullae aut ejus integumentorum affectionem videre valemus, et si nonnunquam rheumatismus musculorum dorsalium, vel tendinum eorum, vel periostii tandem aderat, eum ne minimam quidem vim ad alia mala, quorum causa fuisse arguebatur, efficienda exercuisse arbitramur.

Enz mirum plane in modum suam ipsius sententiam infringit eo, quod narrat, se saepe alios medicos de spinae dorsalis affectione securos et solita medendi ratione usos observantem non parum admiratum fuisse, quod aegroti ab iis non minus celeriter et feliciter sanati sint, quam si ipse totum ipsius apparatum contra istam rheumatico-arthriticam artuum vertebralium inflammationem suam adhibuisset. Quae vero res profecto non ita se haberet, si sententia ejus de natura illius affectionis esset vera. Etenim cogitari nequit, inflammationem in partibus corporis cum vi vitali tam arcte conjunctis sponte sua, nec arte succurrente resolvi atque morbos inde pendentes methodo pure symptomatica, nulla causae ratione habita, dimoveri posse. Fortius etiam Hinterbergerianae theoriae contradicit observatio ab ipso auctore prolata ea, metasyncrisi corporis universali, e. gr. salivatione fortuito vel consulto facta, vel in feminis graviditate serios saepenumero diuturnosque morbos dirimi. Ex quo in promptu est colligere, medullae spinalis affectionem (si re vera affuit!) fuisse mere nervosam.

Quod si vero mala ab illis auctoribus ad hanc originem reducta conquirere velimus, inde a capite orsi invenimus amblyopiam, amaurosin, diplopiam; anginam faucium, dysphagiam; dyspnoëam, asthma, pleuresiam et pneumoniam, phthisin, carditidem, vitia cordis organica; cardialgiam, colicam, vomitum chronicum, diarrhoeam, dysenteriam, et quae Angli sub vaga nimis et ampla dyspepsiae notione comprehendunt; organica intestinorum abdominalium vitia, diabetem, tabem mesentericam.

Sic multum adhuc temporis conterere possemus innumerorum malorum recensione, quae ex communi isto fonte profluere feruntur. Quin etiam — id quod fortissimum est — Hinterberger usque eo temeritatis progressus est, ut in proprio quodam libello [1]) famosam istam choleram Asiaticam nihil aliud esse, nisi medullae spinalis inflammationem, pertenderet. Usque ad eum diem autem cholera aegrotantem observaverat neminem, sed cognitionem ejus unice ex innumeris et diversissimarum sententiarum libris hauserat, qui hac de re exstant. Attamen ei, quae inter cholerae et istius medullae vitii symptomata intercederet, putabat similitudini tantum se tribuere posse, ut ad

---

1) Abhandlung über die Entzündung des Rückenmarks etc. V. supra.

miram hanc conclusionem delatus sit. Quorum symptomatum maximi momenti ei videbantur esse spasmi, vehemens iste vomitus et diarrhoea dysenteroides. Quae signa quum ipsa argumento egeant, infirmis profecto fundamentis doctrinam suam superstruxit. Nobis enim nemo unquam persuadebit, dysenteriam e quadam medullae spinalis affectione pendere posse, etiamsi in hoc morbo interdum dorsi dolores sentiantur. Quod quidem non raro accidere e multis multorum observationibus patet. Idem valet de vomitu chronico. Enz tamen et Hinterberger nunquam dubitavere, locales in dorso facere sanguinis deductiones, vesicatoriis et fonticulis uti, et aegroti per se jam nimis debilitati vires laxativis antiphlogisticis, calomelana praesertim, omnino conficere. Eventus vero etiamsi, morbo aut per longum temporis spatium ducto, aut morte finito, minime eorum exspectationi responderet, a prava sua sententia tamen dimoveri non poterant. Idem evenit in colicae casibus ab Enzio narratis, qui morte finiti sunt. Immo facile quisquam adduci posset, ut morbum falsorum remediorum copia demum commotum esse conjiceret. Insuper in uno horum casuum sectione facta ne minutissima quidem res inventa est, quae ad istam opinionem comprobandam facere potuisset, quum ex Enzii conjectura medullae certe aut ejus membranarum status congestionis reperiretur necesse esset. Membranae medullae, sic narrat, integrae erant, dura mater aëre paululum

inflata, medulla ipsa candida, neque indurata, neque emollita, in superficie a pluribus vasis arterioso sanguine repletis, dimidiam fere fili crassitudinem habentibus, in reticuli modum obducta. Quae vasa semper fere sic in medulla inveniri constat; ita ut quaedam ejus laesio inde colligi nequeat.

Minorem etiam fidem mereri videtur Enzii sententia, superioris spinae dorsalis partis irritatione phthisin pulmonalem effici, et remediis igitur derivantibus et antiphlogisticis in aegra columnae vertebralis regione adhibitis cohiberi posse, etiamsi ad secundum stadium provecta sit. Vehementius mirari possumus, quod Enz ab ista irritatione ad phthisin transitum in minore vel majore pleuresiae vel pleuropneumoniae gradu ponat. Nam inde a Laennecio ea refutata plane perhibenda est opinio, pleurae vel pulmonum inflammatione per se phthisin pulmonalem gigni posse. Sed ex ipsa Enzii narratione manifestum est, neque primum, neque secundum, neque tertium phthiseos adfuisse stadium. Quapropter audire non pigeat, quae auctor ipse de hujus morbi natura profert [1]: „Subitam systematis vasorum irritationem e nova partis cujusdam pulmonum hucusque a morbo intactae inflammatione derivandam censui. Hac de causa (et quod ae-

1) Rust's Magazin, Band 44, S. 116.

grota vehementi tussi vexabatur,) a phthisi pulmonali, quae celeriter ad mortem vergeret, eam correptam putavi; interim remediis tamen antiphlogisticis utendum esse videbatur.

In eandem sententiam abit JOHN MARSHALL, et ex parte uterque etiam GRIFFIN eam amplectitur. Etiamsi vero nervorum spinalium, ut ita dicamus, irritationem cum phthisi tuberculosa conjunctam esse posse concedamus, nexus causalis tamen ordine plane inverso, e pulmonum vitio medullae erethismi originem duxerimus. Nam eam rejiciendam arbitramur opinionem, illo erethismo gigni posse tuberculos.

Nec minus fabulosum est, si ENZ varia sanguinis profluvia, metrorrhagias praesertim et epistaxin, ex illa medullae affectione derivat, quum ex uno rursus aliove casu, in quo vertebrarum nonnullarum cum istis malis conjunctus apparebat dolor verisimiliter rheumaticus, nimis festinanter efficeret conclusionem, quae in omnia sanguinis profluvia valeret. Hysterica vero mala et menstruationis perturbationes, quarum ENZ sub finem scripti sui mentionem injicit, non ex illo medullae vitio proficisci, sed hoc potius radices suas in hysteria habere, BRODIO et ABERCROMBIO antecedentibus supra jam demonstrare conati sumus.

In ea vero, quam JOHN MARSHALL in quinque casibus proposuit tabis mesentericae descriptione, nos quidem nihil aliud conspicere valemus, nisi

spondylarthrocacem, qui morbus a nostro medullae vitio toto coelo differt.

Ceterum MARSHALLII liber multo moderatius scriptus est, quam de illis duobus Germanis potest praedicari, nec non libenter profitebitur quisque, se maxima cum animi attentione eum perlegisse. Nihilominus optandum erat, ut auctor paulo minore usus esset sui confidentia, utpote qui passim significare videatur, se ab imperitis tantum vel iis medicis, qui qualicunque ratione ducti omnibus in doctrina medica novationibus adversentur, dubitationem et vituperationem exspectare.

Nil magis optamus, quam ut doctorum virorum industriae mox contingat, inter ea vitia, quae cum medullae affectionibus quodammodo conjuncta sunt, et inter alia, quae ab iis plane dissentiunt, accuratiores constituere fines. Sed facere non possumus, quin pertimescamus, ut proximis hisce annis usque eo progrediatur scientia, quippe quum medicorum sententiae de rebus, quae dijudicatu multo faciliores sunt, usque ad hunc diem vehementer inter se discrepent.

Quae nuperrime ALBERS [1]) de magis adaucta medullae spinalis sensibilitate disseruit, ea egregiam profecto morbi conficiunt imaginem, sed nimis universe disputata sunt, quam ut ad statum morbosum tam propriae naturae, quam noster, et e peculiari plane causa pendentem pertinere

---

1) L. c.

possint. Qualiscunque vero causarum ab auctore commemoratarum, meningitis, caries, exostosis, vitia meningum, febris rheumatica etc., adsit, primaria tamen symptomata, ut dolores, palpitationes, spasmi, irritabilitas in stimulis conspicua etc., semper eadem manent, quae nos etiam attulimus. In eo tantum auctor veri fines egredi videtur, quod prognosin et eventum hujus morbi nimis funestum accipit, dicens, se eum in liberis tantum et creberrimi quidem sudoris et somni continui beneficio in salutem exeuntem vidisse.

## Diagnosis.

Morbum in antecedentibus descriptum cognitu dijudicatuque esse perdifficilem e crebris medicorum erroribus jure colligi potest. Etenim, dum ista spinae dorsalis affectio initium sumit, facile in eum errorem inducimur, ut incipientem spondylarthrocacem, vel surdam aut medullae ipsius, aut membranarum eam circumvolventium inflammationem statuamus. Deinde, si cum morbi progressu symptomata consecutiva, ut spasmi atque paralysis, orta sunt, ea removenda est opinio, organicam quandam partium supra dictarum mutationem, qua medulla comprimatur, esse factam, sive humoris inter arachnoideae laminas effusionem, sive materiae tuberculosae in meningibus accumulationem, sive medullae malaciam vel atrophiam,

sive quas alias quisquam statuere velit depravationes.

Sed in casibus etiam paulo difficilioribus quaedam semper adsunt indicia, quae nos ducere possint, quamquam non ita idonea et distincta, ut ab omni errore nos tueantur.

Jam primum ordo socialis, aetas, sexus, constitutio similiaque in quaestionem vocanda sunt. Nam in antecedentibus vidimus, puellas feminasque juniores honestiore loco natas, quae vitam mollem luxuriosamque et ab omni virium contentione alienam egerint, simulque a rerum exterarum, aëris maxime vi, nimium se defendant, ab illo medullae spinalis erethismo vexari solere. Quae quum ita sint, in tali muliere si symptomata descripta apparuerint, de ista medullae affectione cogitare in promptu est. Aegrotantes, quae plerumque aut brevi abhinc tempore ad pubertatem provectae sunt, aut partum jam ediderunt, vultu plerumque sunt sano quidem et vegeto, tenui tamen et qualis e nervis laborantium esse solet. Plerumque quaedam etiam processerunt hysteriae symptomata, quae aut in nimia animi irritabilitate vel morositate, aut in corporis hujus illiusve partis doloribus apparuere, quin localem quendam morbum monstrare possis.

Rhachialgia et ipsa magna dorsi quam levissime tacti sensibilitate manifestatur, adeo ut aegrotae tollant clamorem, si quis loco aegro manum admoverit. Quod si vero extremos digitos vertebris

firmius opprimas, dolor imminuitur, id quod mirum plane videri potest. Ex hac ipsa re Brodie colligendum esse censuit, sensibilitatis istius adauctae in integumentis communibus, nec vero in partibus interioribus esse sedem.

Id porro hujus morbi proprium est, quod dolores imminuantur, vel potius aegrota eorum obliviscatur, si medico contingit, animi intentionem ab iis avocare.

Jam vero, ut diagnoseos magis tibi comprobes veritatem, catameniorum ratio habenda est, quippe quae, Brodio teste, hoc morbo saepe permutentur. Nam irregularibus intervallis, citius tardiusve, vel anxios inter dolores revertitur menstruatio, copiam sanguinis justo minorem largioremve effundens. Plerumque autem e leucorrhoea chronica laborat aegra. Quod si vero persona sexus virilis ab hoc morbo corripiatur, id quod nonnunquam fit, tum ad judicium de eo ferendum animi ejus indoles hypochondriaca sive potius hysterica maximi est momenti. Cujus affectionis causa plerumque in eo continetur, quod adolescens justo diutius sub tecto commoretur, vel sicut in feminis in vitae mollitie posita est. Quamquam negari non potest, nimia etiam libidinis indulgentia hunc medullae spinalis erethismum effici posse. Id vero vehementer dubitaverimus, viros unquam iis affectionibus hujus mali secundariis esse subnoxios, quae in feminis observari solent; statuen-

dum potius videtur, tum malum istud in rhachialgia sese continere.

Nulla vero alia e ratione magis optandum est, ut morbi nostri criteria quam accuratissima proponantur, quam ut a morbis artuum vertebralium organicis, quos sub communi spondylarthrocaces nomine comprehendere solent, distinguatur. Nam nullum aliud vitium erethismo isti similius et simul perniciosius est, quam spondylarthrocace. Quam ob rem duo haec mala inter se componenti minimum quodque diversitatis vestigium cordi esse debet. Qua in re tamen profitendum est, usque ad hunc diem criterium inventum esse nullum, quod omnibus in casibus et in quoque morbi stadio sufficiat. Principium praesertim utriusque mali eadem prae se fert symptomata. Quam saepe igitur medullae dorsalis erethismus pro spondylarthrocace habitus est et etiam nunc habetur!

Antea enim quam cum Pottii malo semper fere conjuncta nonnullarum vertebrarum elevatio exorta est, dolor tantum vagus in dorso sentitur, qui modo augescit, modo imminuitur. Id tamen tenendum est, eum dolorem nunquam omnino evanescere, quum in rhachialgia e medullae erethismo profecta initio certe omnino intermittere soleat et per intervalla revertatur. Quod utriusque morbi discrimen quum levissimum sit, non raro dubitatione eo liberamur, quod spondylarthrocace sine

ullo dolore ad maturitatem pervenire potest. Attamen quis non doleat hac quaestionis solutione!

Alia inter ambos morbos differentia vix inter signa diagnostica referri potest, ea scilicet, quod rhachialgia mere nervosa per menses saepe et annos neque mala ulla consecutiva neque alia symptomata gignat, organica contra artuum vitia multo citius formentur et, nisi efficaciter occurratur, rapide progrediantur. Nam qui medicus cautus atque religiosus suspectos istos dorsi dolores naturae relinquat, dum vera eorum indoles appareat! Quam difficile sit, in tanta symptomatum incertitudine rectam ingredi medendi viam, liquet.

Multo satius erit, ista jam dudum spectata spondylarthrocaces cognoscendae methodo uti, ex qua, dum ambo aegrotantis humeri manuum pressu celeri et satis forti afficiuntur, columna vertebralis modice percutitur. Tum enim fiet, ut malo Pottii ingruente dolor plerumque augeatur, medullae autem erethismo nulla ejus mutatio animadvertatur. Quod postremum tamen non observationibus, sed conjectura nititur.

In qua diagnoseos incertitudine duae res nobis esse possunt adjumento: primum, quod adulti rarius organicis spinae dorsalis morbis laborant, deinde, quod liberi impuberes ut in genere a malis hystericis, sic etiam ab illo medullae spinalis erethismo intacti manent. Idcirco, si adulti de dorsi doloribus queruntur, aliquid semper est proba-

bilitatis, hos ab ista affectione nervosa effici, quamquam certi nihil inde colligi potest, nec nunquam timendum est, ne hic potissimum malum quoddam organicum lateat. Mobilitas quoque doloris in affectione illa nervosa attentione digna est, quippe quae initio tantum spondylarthrocaces et quidem modica admodum observetur.

Illam a Copelandio commendatam vertebrarum inflammationis cognoscendae rationem, qua spongia calida humectata lente per columnae vertebralis longitudinem deducitur, Brodio praecedente, rejiciendam putamus. Nam quae erat Copelandii opinio, vertebras morbosas inter tangendum majori doloris vehementia detegi, vaga plane et incerta facta est eo, quod demonstravit Brodie, in hysterica illa spinae dorsalis affectione tali ratione acriorem etiam effici dolorem, quam si vertebrarum caries adesset. Sed hic fortasse quaerere licet, an non auctus iste dolor et ea praesertim utriusque morbi differentia, quod in medullae erethismo pars plerumque multo longior sensilem praeter modum se ostendat, quam in vertebrarum carie, commode inter diagnostica referri possit. Attamen difficillimum semper erit, hoc modo doloris quasi computationem inire et utrique morbo certos quosdam fines assignare, quibus excedere non possit.

Subsequentia spondylarthrocaces stadia, ubi suppuratio jam exorta est, symptomatibus suis accuratius multo et distinctius insigniuntur. Eo

tempore plerumque jam exstitit vertebrarum elevatio hujus morbi propria, et tum demum nova occurrit cognoscendi difficultas, si ea non oritur, ut praecipue in extensiore ossium et cartilaginum ulceratione fieri solet. Etenim, quum ex utroque morbo paralysis tam membrorum quam vesicae et intestini recti evenire soleat, facile quis in affectione ista dynamica de spondylarthrocace cogitabit, quae tantum extera vertebrarum elevatione non apparuerit. Hic, ut ab erroribus nos tueamur, duae res potissimum magnam praebent utilitatem.

Jam primum habitus ejus, qui carie vertebrarum aut in genere organico spinae dorsalis vitio, quo medulla comprimitur vel in actione sua impeditur, laborat, magnopere differt ab eo, quem dynamico illo malo affectus ostendit. Prioris istius habitus flebilis, marcidus, tabidus; color ejus lividus, et in vultu aliquid, quod verbis exprimi nequit, magnam corporis miseriam prodit. Alia plane ratio est istius medullae erethismi. Nam hic juventutis vigor magis minusve remanet; nutritio corporis ut in prospera valetudine, nec raro aegrotae vividum ostendunt genarum ruborem neque ullum imbecillitatis vestigium. Abs qua sanitatis specie mirum plane in modum differt perfecta illa immobilitas. Haec symptomatum repugnantia, quamquam non ubique tam clare sub oculos saliens, medicum supterfugere nequit. Alterum, quod diligentissime in quaestionem vocari de-

bet, propria est paralyseos, ut ita dicam, hystericae natura, de qua Brodie, vir summi ingenii, primum disseruit. Ex ejus enim sententia, cui Illustr. Chelius pro sua ipsius experientia assentitur, hoc paralyseos genus ab altera ista, quae pressu medullae inflicto gignitur, eo quam maxime differt, quod non e movendi facultate ademta, sed e voluntatis actione sublata nascatur. Quapropter hanc aegrae conditionem voluntatis rectius quam motuum paralysin nuncupaveris.

Quamvis mira haec viri docti opinio videri possit, magis magisque tamen comprobabitur reputanti, quam felices ea medendi ratio habuerit successus, quae ex hoc principio pendens animo magis curando incumbit.

Nunc quaeritur, quomodo perspici possit, istud paralyseos genus re vera adesse. Qua in re dijudicanda symptomata comitantia auxilio esse possunt. Nam rarissime dumtaxat illa immobilitas sola invenitur, sed plerumque cum ea alia coenaestheseos indole hysterica turbatae indicia conjuncta sunt, quibus eo adduci possumus, ut paralysin ipsam fictitiam magis phantasiae imaginem, quam veram esse existimemus. Tum variae aegrotarum de conditione sua occurrunt opiniones, quae tamen omnes ex eo proficiscuntur, quod suis viribus diffidunt. Sic aegrota quaedam, quam Illustr. Chelius curabat, quum animum induxisset, se alimenta non amplius perferre posse, cibo potuque abstinere statuit.

Magis tamen medici interesse debet scire, statum tam singularem adesse, quam ut ad morbum recte cognoscendum tantum ei possit tribuere. At alia ex parte cavendum est, ne quis, ingeniosae Brodii observationi nimium quidquam concedens, affectiones illas paralyticas solummodo e voluntatis vel imminuta vel certe turbata efficientia derivari posse arbitretur, utpote cui opinioni experientia ipsa repugnet. Quin enim lassitudo et imbecillitas sensim sensimque augescens, quae in vitio illo dynamico sentitur, non magis e phantasia proficisci possit, quam si e nimia corporis exercitatione nascatur, vix cuiquam dubium esse potest. Sed hic ipse languor animo irritato suggerit opinionem, morbum ad paralysin vergere, et tandem jam jam ab ea membra teneri. Ad quam dynamicam nervorum turbationem augendam quies perpetua, in qua aegrota semper manet, non parum confert. Ita nec aliter Brodii verba interpretanda nobis videntur.

Cum rheumatica etiam rhachialgia morbus, de quo sermo est, principio saltem confundi potest, et maxima ejus erroris causa in eo vertitur, quod uterque dolor magnam prae se fert mobilitatem et tangendo augetur. Contra malo dynamico deest ille rigor, qui vitia rheumatica accuratissime designat, quo rigore coguntur aegroti columnam vertebralem, quantum fieri potest, rectam tenere, et impediuntur, quominus velociter quoquoversus se moveant.

Deinde ea animadvertenda est differentia, quod dolores dorsi rheumatici repentino impetu incurrunt, nec non causa, quam habent unicam, refrigeratio certissime semper demonstrari potest; nervosi contra vel hysterici sensim surrepunt et primo obscurius, deinde clarius sentiuntur. Quamquam negare nolumus, eos interdum etiam omni simul robore ingruere. Attamen, si hoc fit, semper fere indicia praecesserunt indolis hystericae, aut etiam accidit, ut consimilis quaedam affectio nervosa unius majorum artuum subito evanuerit et metastatice ad spinam dorsalem transcendat.

Porro naturae doloris rheumatici ratio habenda est, quem vellentem, pungentem et urentem esse constat, quum hystericus contra prementis et urgentis naturam ostendere soleat.

Ante omnia vero et hic quatuor istae res, de quibus jam supra dictum est, ordo socialis, aetas, sexus, constitutio, permagni momenti esse debent, quam ob rem Josephi Frankii egregiam observationem: "subjiciuntur illi (sc. rhachialgiae rheumaticae) homines morbis nervosis ceterum non subditi, ut rustici et milites," [1]) afferre hoc loco liceat.

Omnia de columnae vertebralis rheumatismo commemorata valent etiam de ista regionis ossis

---

1) Praxeos medicae universae praecepta. Part. II, vol. I, sectio II, pag. 52.

sacri affectione, quae lumbago vel spasmus Paracelsi fixus appellari solet. Cujus de natura inter viros doctos dissensio quidem est, aliis eam pro neuralgia nervi cujusdam sacralis, aliis pro rheumatismo minoris periostii loci aut membranarum tendinearum, quae musculis quibusdam affigendis inserviunt, habentibus. Nihilominus rheumatica ejus natura e prospero successu intelligitur talium remediorum, quae ceteroquin malis rheumaticis opponi solent, ut in cutem derivantia et laevigatio, quae calente fit ferramento. Ceterum hoc malum perraro tantum nec nisi apud negligenter obiterque intuentes permutationi subnoxium esse potest. Nam ortus ipsius acer et violentus in hominibus, qui antea bona plane valetudine fruebantur, magna doloris vehementia, qua aegroti coguntur, ut clamorem edant humumque procumbant, paroxysmi brevitas, quem in tempus satis longum perfecta quidem sanitas sequi solet, minuta, quae a dolore tangitur, spinae dorsalis pars, symptomatibus etiam, de quibus supra dictum est, omnino omissis, hujus affectionis cognitionem facilem certamque reddunt.

Postremum unum id reliquum est, ut ostendamus, quomodo medullae vel meningum inflammationes ab erethismo isto discerni possint. Jam primum quod ad acutam harum partium inflammationem attinet, haec inde a principio symptomatibus seriis periculosisque, quae ab incipiente

rhachialgia nervosa aliena sunt, accurate denotatur, ut nemini unquam ejus cum erethismo permutationis in mentem venire possit. Tum enim violentissima subito febris exsistit; cor atque carotides vehementer micant; aegroti vultus turgescit rubescitque; per totam columnae vertebralis longitudinem saevissimi dolores sentiuntur. Eodem tempore aegrotus, gravi capitis dolore oppressus, maximo afficitur languore, ita ut vix se promovere queat. Membra simul rigent et saepe spasmodica musculorum contractione jactantur. Exinde morbus velocissime sese intendit et, nisi efficacissima succurratur antiphlogosi, intra quatuor vel quinque dies mortem efficere potest. Quantopere haec morbi adumbratio ab ea erethismi medullae differt!

De chronica locali earum partium congestione et inflammatione ea omnia valent, quae supra de stadio spondylarthrocaces inflammatorio diximus. Nam omnia alia symptomata quum deficiant, ex nulla alia re nisi dolorum supra accurate descriptorum observatione utrumque malum cognoscere possumus. Quin etiam libere profitendum est, etiamsi viri docti summo studio elaboraverint, ut inflammationis singulae cujusque partis, sicut arachnoideae, durae et piae matris, medullae etc., diagnostica et pathognomonica sua signa investigent, usque ad huncce diem eos hac in re parum profecisse.

Jam vero morbum nostrum observationibus quibusdam illustrare liceat. Quarum primam benignissime mecum communicavit Illustr. Puchelt; sequentes Illustrissimi Chelius liberalitate mihi contigerunt.

### Observatio I.

Die 28. Jul. 1830 ab amico medico in urbe vicina degente invitatus sum, ut ejus uxorem dilectam viderem. Haec 25 annos nata, tenera constitutione, jam antea plura eaque graviora hysterica symptomata exhibuerat, ter pepererat, idque ultima vice ante 16 hebdomades, postquam, quum gravida esset, et animo et corpore (lapsu scilicet) vehementer commota fuerat. Sexta hebdomade post et dein normali tempore catamenia in conspectum venerunt. Insimul autem dolores orti imi ventris vehementes cum alvo tarda; urinae secretio diminuta, denique ita, ut quovis quarto quintove die mitteretur; dolores increverunt et latius extensi a spinae dorsalis media parte ortum habent, ad occiput et cristam ossis ilei sinistri extenduntur, nec non in fossa axillari percipiuntur; lipothymiae, anxietas et angustiae pectoris subinde accedunt; incessus ita labefactatus est, ut pedi sinistro vix insistere possit. Primo intuitu morbum pro hysterico habui; quum vero aegram incedentem et claudicantem conspicerem, quumque spina dorsali manu explorata aliquot

vertebras dorsales sub tactu dolentes perciperem, nec minus lapsus meminissem, tamen metu conceptus sum, ne spondylarthrocace lateret.

Quare fonticulum et balnea adhibenda esse censui, quae vero usum insignem non ferre litteris a marito ad me missis certior factus sum; contra fonticulo deligato et cathetere applicato (cujus ope septem diebus sub anuria elapsis aliquot unciae urinae excretae sunt,) gravissimi dolores excitati sunt; iidem subinde in occipite initium habent et excitant insultus catalepticis similes; nonnunquam stupore quodam aegra afficitur, ita ut nil nisi dolores sentire videatur eosque ejulatu patefaciat; nec non tussis molesta accessit, quae brevi tempore mitigata est; febriles motus nunquam in conspectum venerunt.

Praeter balnea et fonticulum varia nervina exhibita sunt sine fructu; quare loco fonticuli, qui dolores augebat, suasi vapores calidos dorso applicari, qui melius conducere, imprimis urinae secretionem adjuvare videbantur. Sic morbus per reliquam anni partem protrahebatur, modo mitior, modo gravior; nihilo tamen secius catamenia normam tenebant justam usque ad mensem Septembrem, quo ultima vice fluebant; postea aegra concepit et peperit feliciter d. 19. Sept. 1831 puerum robustum. Neque per graviditatis tempus symptomata supra commemorata siluerunt, sed continuarunt ita, ut subinde augerentur; imprimis vero incessus in oculos cecidit, qui sensim

in claudicationem talem abiit, quae coxalgiam comitari solet, et re vera pes sinister brevior factus est, ita ut digiti soli terram attingerent; quapropter non sine fructu fonticulus applicatus est post trochanterem. — Nihilo tamen secius aegra satis tunc vigebat; doloribus mitigatis aut minus saevientibus cibos quosdam ferebat; excretiones alvi urinaeque rariores manebant et aloëticis nonnunquam opus fuit, ut alvus duceretur.

Die 24. April. huc pervenit, ut me videret, symptomata enim mitiora erant; ex hoc vero itinere denuo gravi modo affecta est. Insultus cataleptici frequentiores facti, dolores dorsi, cruris, pedis sinistri brevioris vehementiores; spina ossis ilei sinistri unum digitum dextra superior posita; spina dorsalis ita incurvata, ut vertebrae quaedam prominere viderentur; alvus non nisi clysmati respondet, urina rarior, macies modica. Hunc rerum statum inveni, quum aegram d. 24. Maj. viderem; suasi, ut fonticuli in dorso repeterentur, balnea exhiberentur et oleum jecoris in usum vocaretur. Id vero vomitu rejiciebatur. Attamen symptomata sensim mitigata, ita ut sub iisdem terminum partus attingeret aegra; qui prosperrimus fuit, nec puerperium a naturali abhorruit. Nihilo tamen secius symptomata saepius commemorata perstiterunt modo mitiora, modo graviora. Quare die 31. Oct. denuo fonticuli dorso applicati sunt; sub operatione vero aegra in statum incidit, qui inter catalepsin et soporem

medium tenere videbatur; ex quo quum expergefacta sit, animus vehementer commotus fuit moerore, anxietate, mortis metu; tandem febriles motus facie livida insignes excitati. Sequente die catamenia supervenerunt et protracta sunt satis copiosa sex per dies; febris vero auctis simul doloribus appetitu ciborum deficiente insignis usque ad 12. circiter diem protracta decreta est sine adjumento artis. Haec vero febris crisin quandam secum duxit, postea enim dolores dorsi valde mitigati sunt; urina recte excreta est et aegra ita restituta, ut res familiares peragere valeret; cataleptici vero insultus prorsus siluerunt. Nihilo tamen minus coxendix sinistra sensilior, pes brevior mansit, incessus vero melior. Quid quod paulo post parentes visura iter plurium horarum fecit, quin detrimenti quid sequeretur. Contra postea melius se habuit aegra; catamenia justa, sub quibus insultus cataleptici redire solent, dolores mitiores manserunt, pes vero brevior. Denuo applicati fonticuli dolores non excitaverunt. Tandem aestate thermis Schlangenbadensibus usa est, quas quidem minus bene ferre sibi videbatur aegra, quae vero insignem usum ferebant. Scilicet d. 27. Sept. eam vidi perfecte incedentem; uterque pes aequalis, dorsum bene constitutum, vix sensile praeter modum. Sic morbus feliciter ad finem perductus est, qui multa eaque gravia mala excitaverat et ultra biennium protractus fuerat.

## Observatio II.

N. N., virgo pervivida et sensibilis, proles familiae, cui abdominis morbi et debilitas communes, a prima aetate vitiis ventris laborabat. Peculiaris ab omni tempore ejus fuit proclivitas ad diaphoresin immodicam. Hinc rheumatismi post sudores a superveniente frigore suppressos creberrimi. Infans adhuc a matre ad permagnas medicamentorum, moschi, rhei etc., doses sumendas frequenter coacta est. Inde a pueritia simul perlaute semper vixit.

Duobus abhinc annis praesertim paroxysmis spasticis catameniorum tempore praecipue provenientibus aegrotabat. Curationem virginis medicus celeberrimus per annum fere, a 29. d. Junii 1830 scilicet ad 31. d. Maji 1831 moderatus est. Abdomen semper tumidum et in eo dolores prope continui. Uteri affectionem morbosam adesse frequentiores dolores et intumescentia in regione uterina, spasmorum adventus tempore menstruationis, sanguinis in hac profluvium justo nimium foetorque gravis cruoris menstrualis, leucorrhoea nonnunquam apparens etc. docuerunt.

Adhibitis medicaminibus symptomata abdominalia, maxime ventris intumescentia et dolores evanuerunt. Immo spasmi multo rariores nec tam diu permanentes evenerunt. Hi spasmi qualescunque formas induerunt, modo tetani et trismi, modo catalepseos, modo vel epilepsiae. In-

sultus spasmodici atrocissimi saepius per quatuordecim dies duraverunt intermissionibus parvis et noctibus solummodo liberis.

Mensibus Februarii et Martii, immo per partem Aprilis anni 1831 commoda et bona valetudine continue gavisa est. Magna se movendi facilitas ei fuit in ambulando, inclinando deorsum et in versando sine ullis dorsi crurumque molestiis.

Mox in excursione primis Aprilis diebus et dorsi (in sacra potissimum regione) et crurum dolores eam accesserunt. Brevi post tempore adynamia paralytica invasit crura. Standi et ingrediendi vim amittens lecto aut sellae affixa erat.

Novissimis temporibus dorsi dolor auctus et tumore in regione sacra conjunctus exstitit.

Adversus mala memorata adhibebantur praecipue natrum carbonicum (effectu satis salutari), aqua laurocerasi et acidum hydrocyanicum (sine fructu), hydrargyrum sulfuratum nigrum cum extracto cicutae, asa foetida, sabina (cum fructu), aurum muriaticum natronatum, liquor argenti muriatico-ammoniati. (Praeparata ambo multum profuerunt, praesertim postremum in spasmis.) Insuper ad dorsum medicus usus est hirudinibus, cucurbitis, vesicatoriis, unguento cum tartaro stibiato, fonticulis grandioribus n°. VI per plures menses pisis magnis et unguento acri conservatis, vaporibus aquae fervidae ope machinae DZONDIANAE adhibitis.

Thermarum Emsium anno priore usus ad bibendum et ad balnea tantum durante cura spasmos impediendo salutem praebuerat. Nam finita ibi commoratione convulsiones menstruationis tempore vehementer redierunt.

Aquae Badenae (Helveticae), ubi nunc etiam aegrota versatur, non singularem efficaciam ad sanandum ejus morbum ostendere videntur.

In cute nuda e consilio medici sericum semper gestabat.

Symptomatibus hoc ipso tempore sic se habentibus — paralysi imperfecta tantum crurali, dolore et tumore dorsali, — morbus vertebrarum lumbalium aut medullae spinalis e causa rheumatica pro nativa aegrae proclivitate ortus in promptu esse videtur. Hunc morbum dorsalem ex mense Aprili anni praeteriti modo esse exortum per superiorem virginis vitae physicae decursum in aperto est.

Ferrum candens (moxam in hoc casu postposuit,) in dorsi parte morbosa adhibendum esse censuit medicus.

Hoc judicio per litteras proposito et multis praeterea ab aegrotae fratre communicatis medicus quidam celeberrimus Parisiis in consilium vocatus est. Qui cum prioris opinione omnino consentiens fortissimas in cutem dorsi derivationes commendavit.

Sub finem Augusti mensis Illustr. Chelius Manhemium in auxilium arcessitus non emaciatam, sed

satis bene nutritam invenit aegrotam. Quae multum de doloribus dorsi crurumque conquesta nullum plane motum perferre valebat et positionem horizontalem semper retinere cogebatur. Etenim simul atque ea excedebat, spasmi violentissimi et animi deliquia dimidiam horam et diutius durantia sequebantur. Alvo incubantis spinam dorsalem quum Illustr. Chelius digitis exploraret, sub levissimo tactu dolores fere intolerabiles sensit aegrota, et tum etiam spasmis et animi defectione vexata est; dorsum nullam plane ostendit alienationem. Ex omnibus hisce signis, praesertim vero e nimia in tangendo sensibilitate, Illustr. Chelius colligendum censuit, non organicum quoddam vitium, sed merum medullae spinalis erethismum adesse. Quapropter omnia cutis irritamenta gravissime dissuasit et rationem medendi iniit mere antihystericam. Tum aegrota Heidelbergam se contulit, ubi primo flores zinci et thea e radice valerianae, tum infusum valer. cum extracto chinae, denique hoc posterius tantum ei porrigebantur.

Ita tractata virgo nonnullis hebdomadibus intermissis jussu medici in cubiculo lente ambulare incepit. Brevi post tempore ad aërem admissa, nonnullis mensibus praeterlapsis in pristinum valetudinis statum restituta est et majorem etiam viam indefessa absolvere valebat. At omnibus molestiis remotis subito affectiones spasmodico-hystericae exortae sunt, post quarum decessum, id quod magnopere mirari licet, amau-

rosis perfecta exstitit. Sed haec etiam parum diuturna post tres jam dies simplicibus remediis adhibitis abiit. Ad salutem reducta Heidelbergam quum reliquisset, aegrota brevi post tempore viro nupsit. Primum puerpera affectionibus rursus spasmodicis tentata esse dicitur. Pluribus annis interjectis Illustr. Chelius eam vidit valentem atque florentem.

## Observatio III.

Virgo quaedam Anglica admodum erudita et praeclari ingenii, undeviginti annos nata, Parisiis, ubi commorabatur, a cholera Asiatica adeo usque correpta est, ut medici jam de ejus salute desperarent. Periculum quidem effugit, sed vigorem recipere non potuit. Crurum tantam sentiebat imbecillitatem, ut ea movere plane non posset et lecto affixa cubaret.

Hac in conditione Manhemium vecta, ut Illustrissimum Chelius consuleret, movere se prorsus non poterat; dorsum et crura perquam sensibilia in tangendo se exhibebant et ultro etiam vehementer dolebant. Digestio plane prostrata, ita ut aegrota ea etiam alimenta animalia, quae facillime digeruntur, vix perferre posset, et omnia remedia interna ab Illustrissimo Chelius adhibita vim exsererent medici consilio directe oppositam. Omnibus his signis diagnosi constituta Illustr. Chelius spinam dorsalem liquoribus spirituosis inungi et

item aquae fervidae vaporibus totam columnae vertebralis longitudinem ope machinae DZONDIANAE usque ad cutis ruborem feriri jubet. Protinus fausta symptomatum evenit mutatio; debilitate paullatim evanescente aegrota positione immobili excedit et rursus ambulare incipit. Ciborum appetitus in dies augescit et cum eo alimenta assimilandi facultas. Per longum adhuc temporis spatium tonica nunc et amara adhibentur remedia. Motus sub dies augentur prosperrimo cum eventu, et mox aegrota, postquam diutius viginti duos menses in positione horizontali remansit, perfectam valetudinem rursus consecuta est.

Parisios reversa quum dentem extrahendum praebuisset, magna exoritur haemorrhagia, et nunc molestiae iis, quibus defuncta erat, simillimae, dorsi et pedum imbecillitas atque spasmi indolis fere hystericae oriuntur. Mox vero haec symptomata transeunt plane innoxia.

## Observatio IV.

Virgo quaedam altiore loco nata viginti fere annorum, constitutionis paullulum lymphaticae, procera valde et celeriter pinguefacta, sub finem aestatis anni 1835 in Galliam meridionalem se contulit, ut per hiemem mitiore coeli temperie frueretur. Hic medicus, cui sequentem morbi descriptionem debemus, eam primum vidit.

Primarium vitii, quo laborat, symptoma singularis est musculorum omnium debilitas. Mandibulis e. gr. per breve tantum temporis spatium ad manducandum uti potest, utpote quae mox fatigentur. Dorsum aeque infirmum, et aegrotae, etiamsi satis diu rectam se tenere valeat, tamen, asino si vehitur, usque timendum est, ne a positione recta decedens humum procumbat. Edens manum ori admovere nequit nisi cubito suffulto. Brachium sinistrum altero multo debilius. Pedes eodem modo affectos aegra tollere non valet, neque sella surgere potest. Erecta semel post quindecim vel viginti gressus subito humum collabitur. Attamen non de imbecillitate solum, sed etiam de tensionis et rigoris musculorum sensu conqueritur. Caput etiam hujus affectionis particeps, quod saepe oppressum et surdum est, ut aegrota non plus pagina una legere valeat, quin onere quasi palpebrae deprimi videantur. Quae omnia symptomata menstruatione appropinquante intenduntur. Simul ac vero ea apparuerit, molestiae imminuuntur, ut tensio ista et rigor, et membra, ut aegrotae ipsius verbis utamur, solvuntur. Sed inter ipsam menstruationem hoc levamentum rursus tollitur. Mane imbecillitas maxima, vespero valetudinis conditio, quantum esse potest, optima.

Columna vertebralis diligentissime explorata; fortissimus digitorum pressus nullo ejus loco mi-

nimam excitabat sensibilitatem. In regione lumbali tres vertebrae digito fere transverso ad latus sinistrum declinabant.

Ceterum functiones omnes bene procedunt, somnus, digestio, nutritio etc. Catamenia certum ipsorum typum sequuntur, per octo dies durantia, larga, fortasse nimis larga. Nonnullo abhinc tempore octo diebus tardius eveniunt; pulsus arteriarum vividus satis, paulo frequentior; ex quo menstruatio nimis copiosa facta est, debilior.

Medicus celeberrimus consultus principio nimias evacuationes menstruales mali esse causam censuit. Quod vero quum hoc menstruationis vitio arte remoto permaneret, de columnae vertebralis incurvatione cogitare coepit. Remedia tamen orthopaedica non tolerata, et insuper difficile foret, ea ex causa capitis oculorumque affectionem explicare. — Balnea contra morbi statum in melius converterunt.

Medicus, cui aegrota curae erat, nunc ad illum virum clarissimum perscripsit, in vasis medullae spinalis sanguinis congestiones factas sibi videri et eam ob causam velle se hirudines, vesicatoria et talia remedia adhibere, quae ad nervorum medullae spinalis systema irritandum facere possint. Ille ad hanc sententiam quum accessisset, insuper rhus toxicodendron gr. $^1/_6$ pro dosi ter per diem porrigendum commendavit, nec non solutionem arsenicalem Fowleri, cujus vero usus omissus est,

quum medico curam moderanti nimis periculosus videretur.

Sed tota haec medendi ratio in breve tantum tempus profuit, et mox aegrotae conditio, digestionis viribus per rhus toxicodendron magnopere debilitatis, multo pejor facta est.

Nunc alius medicus in auxilium assumtus, e cujus consilio primus duo cauteria in regione lumbali collocavit et quotidie strychnini gr. $^{1}/_{8}$ et ferri carbonici gr. IV porrigenda jussit.

Sed vixdum quatuordecim diebus elapsis cura cessare debuit, quum imbecillitas nimis augeretur et menstruatio justo citius reverteretur. Arteriarum pulsus nunc frequens et debilis factus, vultus paulo pallidior, oculi minus vivi, corporis abundantia paululum minuta.

Sic Heidelbergam profecta est, ut ad Illustrissimi CHELIUS consilium confugeret. Symptomata modo commemorata manifestiora etiam et musculorum imbecillitatem valde adauctam invenit, ita ut collum e. gr. vix sustinere posset caput, semper fere ad pectus demissum. Appetitus ciborum tamen satis bonus, somnus quietus et recreans. Celeberr. CHELIUS, natura morbi perspecta, nervina et roborantia, uti chinam, valerianam, arnicam, adhibuit. Dorsum liquoribus alcoholisatis inungi et vaporibus aquae fervidae tangi jussit. Sed haec etiam ratio in breve tantum tempus aegrotam sublevavit. Tunc subito symptomata apparuerunt, quae in vermium suspicionem induxere, et re vera

oleo empyreumatico Chaberti adhibito taenia lata per sedes dejecta est. Omnes aegrae propinqui et amici laetabundi, morbi sublevamentum, si non finem sperantes. Sed pro dolor! opinio eos fefellit; nam subito omnia symptomata augescunt, imbecillitas crescit, digestio summopere impeditur, et identidem pectoris oppressio, quae fere ad asthmatis vehementiam accedebat, apparet. Sed haec semper mox transire solebat. — Aliquanto vero Illustr. Chelius vocatur, quod talis paroxysmus superioribus violentior exortus sit. Qui quum advenisset, aegrota vita erat defuncta!

Sectio cadaveris diligentissime facta et imprimis in medullam spinalem inquisitum est. Haec tamen ne minimam quidem alienationem ostendit; nec in cerebro et organis abdominalibus ulla a statu integro declinatio inventa est.

## Prognosis.

Quam si in universum faustam proponendam arbitramur, hoc judicium ad initia potissimum hujus medullae status erethistici et ad minores ejus gradus relatum volumus, ubi dorsi dolores per intermissionem tantum sentiuntur et insuper quaedam fortasse crurum pedumque adest imbecillitas. Sed tum etiam, quum languoris et debilitatis sensu ad summum intenso pressus quidam in scrobiculo cordis fere perpetuus, spasmo-

dicae musculorum contractiones ceteraque symptomata supra a nobis commemorata accesserunt, prosperum eventum praedicere non absonum est. Quo diutius vero omnia haec mala subsistunt, quin justa remedia adhibeantur, quo magis languor iste et ignavia augescunt, quin ulla aegrotarum tristitiae et morositati medela afferatur, eo magis spes salutis mox recuperandae evanescit, quamquam tum etiam de ea desperare nulla est ratio. Immo pessima, quae apparere possunt, symptomata, paralysis membrorum ac vesicae et intestini recti inertia, parvum tantum afferunt periculum et multo quidem minoris sunt momenti, quam si aliis causis, organicis praecipue spinae dorsalis vitiis, ut cariei, exsudationibus, malaciae medullae etc., debentur. Cujus differentiae rationem jam supra exponere conati sumus. Si vero res pessime ceciderit, morbus in hac conditione multos per annos ita durare poterit, ut constitutionis statum haud multum infringat, nec marasmum pedetentim efficiat. Quem postremum eventum tamen, quo vis vitalis sensim sensimque deficiat et postremo omnino exstinguatur, plane negare nolumus. Nam aliquoties factum est, ut mors sequeretur, quin ad aliam quandam causam referri posset. Neque infitias ibimus, quin in violentioribus insultibus tetanicis, convulsionibus crebris et immodicis fieri possit, ut in materiam vel ventriculos cerebri sanguis effundatur, id quod tamen perraro tantum eveniet.

## Therapia.

Nihil simplicius esse potest, quam medullae spinalis erethismum naturae convenienter tractare. Brodio prae omnibus laus ea debetur, quod viam medendi unice rectam primus tam significaverit, quam persecutus sit. Ostendit ille, omnia ea remedia, quibus in alia spinae dorsalis vitia, inflammationes et rheumatismos aut medullae ipsius aut membranarum et ossium, quae eam circumdant, uti solent, in nostro casu noxia aut certe magna cum prudentia esse adhibenda. Locales praecipue sanguinis deductiones nihil faciunt, nisi ut imbecillitatem augeant, etiamsi dolores iis in praesentia saepe aliquatenus mitigari videantur; immo saepius iteratae nocentissimam diutiusque duraturam vim in teneram aegrotantium valetudinem exercere possunt.

Cetera, quibus tam saepe utuntur, remedia, derivationes cutaneas, ut vesicatoria, cauteria, fonticulos etc., Brodie omnino rejicit, primum propterea, quod aegrotarum animum ad miseram ipsarum conditionem perpetuo convertant, deinde, quod dolores plerumque augeant. Cui praeclarissimi viri praecepto objiciendum videtur, tam universe id observari non posse, quia e rerum ratione interdum ab ista severitate decedendum sit. Nam maxima difficultas rectae medendi rationis constituendae semper in eo vertetur, quod omnium momentorum, e quibus aliquid elici potest, dili-

gentissime ratione habita diagnosis tamen certa et accurata incipiente malo proponi saepe nequeat. Semper enim timendum erit, ne spondylarthrocace exsistat, quem morbum perniciosum celeri tantum et efficaci artis actione repelli posse inter omnes constat. Nec injuria conscientiae criminationibus vexaremur, si nobis plane otiosis malum istud eo usque augeretur, ut sanari amplius non posset. Sed contra id etiam cavendum est, ne aegrotum praeter necessitatem incitamentis cutaneis cruciemus et doloribus, a quibus jam torquetur, alios adjiciamus. Inter duas calamitates minorem semper subeundam esse quum credamus, in dubiis etiam nostri morbi casibus modicum lenium derivantium usum commendaverimus.

Vesicatorium vel etiam fonticulus in medullae erethismo non multum nocere poterit, quum prima fortasse morbi organici initia restinguere valeat. In anginane membranacea melius quidquam evenit? Multi jam infantuli praeter rem hirudinibus calomelanaque vexati. Quem tamen errorem, si aliquid acciderit, libentius ignoscunt homines, quam nimium timorem, ne indiciis adhuc vagis atque incertis remedio quodam usus sis.

Si ejusmodi deductiones cutaneae nullam vim ostendant et ex aliis symptomatibus quoque magis magisque pateat, affectionem adesse pure dynamicam, modicum sub divo motum praescribamus, aërem purum, vitam, si fieri potest, rusticam et quae ad animum saepe contristatum ex-

hilarandum conferre possunt. Quod ad rationem diaeteticam attinet, cavendum est, ne nutrimenta nimis scrupulose eligas.

Quod si vero morbi longius progressi talia symptomata appareant, e quibus totum nervorum spinalium systema jam correptum esse colligi potest, spasmi, convulsiones, quae cum iis choreae similitudinem habent, aut imbecillitas membrorum paralytica, tum medicum psychicam etiam in aegrotas vim exserere omnino necesse est. Cui enim si aegrotis virium suarum diffidentia liberatis persuadere contingit, magnam calamitatis suae partem in phantasia esse positam, nec non liberum membrorum motum, quamquam paululum impeditum, ipsis relinqui; eas adeo musculorum contractiones, quae involuntariae plane videntur, magis e turbata voluntatis actione pendere, quippe quae saepius desinant, simul ac aegrotae attentio in aliam rem devertatur: quae omnia si consequi valet, maximam vicit difficultatem.

Initio paucos tantum gressus in cubiculo nec nisi quodam temporis spatio interjecto facere permittat, sed eam cubandi et quiescendi propensitatem, quae in hoc potissimum malo observatur, omni modo studeat supprimere. Aegrotae simul ac sentiunt, se voluntarie movendi sese facultatem non amisisse, nova in iis oritur alacritas et spes salutis. Quo efficitur, ut mox longius spatium sub divo permeare valeant et celeriter ad perfectam redeant valetudinem. Tono medullae

spinalis augendo in hoc morbi stadio spirituosa maxime et talia inserviunt linimenta, quae exhalando mox dissipantur, in tota columnae vertebralis longitudine adhibita, ut linimentum camphoratum compositum addito paullulo tincturae opii; porro fomentationes aequalium partium mixturae camphoratae et olei rorismarini, ut Brodie suadet. Liquores etiam alcoholisatos proponere audemus, ut spiritum saponis, serpylli, thymi, et naphthas nec non liquorem ammonii caustici.

Maximam vero utilitatem aquae fervidae praestant vapores aliquoties per diem dorsum nudatum ferientes. Quo quidem id potissimum consequimur, ut nimia spinae dorsalis sensilitas pro stimulis mirum plane in modum imminuatur, quam ob rem eorum usum in omnibus casibus gravioribus quam maxime commendatum volumus.

Marshall frictiones cutis approbat cum vel sine rubefacientibus, quae vero per totam horam sine intermissione continuentur et semel vel bis per diem repetantur. Praeterea diversissimis cutis incitamentis utitur et gravioribus in casibus linimenti tartari stibiati vim magnopere praedicat. Neque, ut Brodie, fonticulorum usum improbat.

Jam vero quaeritur, num in nostrum malum internis etiam remediis utendum sit et quae eorum maxime sint idonea. Brodie hanc quaestionem obiter modo tangit, eo contentus, ut rationem diaeteticam explicet. Abercrombie difficilli-

mum esse indicatu fatetur, quaenam remedia certam praebitura sint utilitatem. Cui vero dicenti, purgationes largas et certis temporibus repetitas magnopere ad malum propulsandum facere, nullo modo consentire possumus. Hae enim non possunt, quin imbecillitatem adaugeant, et quum simul minime manifestum sit, qua de causa adhibeantur et quam in ansas morbi vim exserere possint, erunt rejiciendae. Ratione symptomatica autem non repudiandae videntur. Ei contra Abercrombii sententiae libenter accedimus, quod roborantium et antispasmodicorum conjunctionem suadeat. Nominatim quidem ea non affert, sed nullo fere negotio illa eligi possunt, quae ad hunc finem maxime sint idonea. Ex ea igitur opinione, quae de istarum affectionum origine adoptanda nobis visa est, primum probatissima appellamus antihysterica. Praesertim auctoribus celeberrimis, Puchelt et Chelius, a radice valerianae vim prosperrimam exspectamus. Flores zinci etiam, castoreum et asa foetida magnopere ad rem faciunt, nisi haec postrema ob malum odorem saporemque fastidiuntur. Infusum e refracta dosi radicis ipecacuanhae in variis coenaestheseos turbationibus quam maxime prodest, quam ob rem ejus mentionem hic non negligimus. Nec admodum operosum foret, e magna remediorum, quae nervina dicuntur, copia unum alterumve eligere, sed hac re supersedere possumus, et quod medicamenta commemorata maximi nobis momenti esse

videntur, et quod remediorum frequentem vicissitudinem nimiamque accumulationem in nostro casu vituperandam esse censemus. In leviori morbi gradu optimum erit, nulla plane uti medicina, et in gravioribus etiam simpliciora tantum medicamenta et haec quidem certis intervallis adhibeantur. Tonicorum et roborantium, ut inprimis corticis Peruviani et calami aromatici, usus arctioribus etiam finibus circumscribi debet et tum solummodo commendari potest, quum in curatione ista praescripta imbecillitas non minuitur, vires potius ne magis semper deficiant periculum est. Aliis in casibus supervacua certe sunt, quum aegrotae sine iis celeriter convalescant. Saepe vero in personis sensibilioribus sanguinis orgasmum augent, congestiones ad caput efficiunt et eo modo pristinis molestiis novas addunt, vel organorum etiam digestionis functiones magnopere impediunt.

A natura morbi porro non plane alienum erit, propter eam mali intermissionem, quae principio saltem observatur, chininum sulfuricum, ut a Brodio factum est, adhibere, etiamsi mali intervalla atypicam prae se ferunt indolem.

Postremo id nobis relinquitur, ut moneamus, singula etiam symptomata prominentia pro sua quaeque gravitate diligenter attendi, et si aut molesta sint, aut periculum minitentur, omni modo impugnari debere. Si igitur dolores dorsi mem-

brorumque insolitum in modum augeantur, parvae doses opii aut aquae laurocerasi aegrotae praebere non dubitabimus. Sic cardialgiae etiam vehementiores paroxysmi celebri isto magisterio bismuthi, aut infuso radicis valerianae leniuntur, etiamsi iis non plane tolli possint, antequam momentum causale remotum sit. In alvi obstructione primum ad clysteres leviter irritantes, et ubi jam inveteravit, ad laxativa lenia, ut mannam, pulpam tamarindorum vel, quod optimum, ad oleum ricini, confugiendum est. Purgantibus vero salinis atque drasticis ob magnam, quam in tractum intestinorum irritationis vim exercent, in summo discrimine utendum est. Urinae excretio si paullo est molestior, vel si perfecta ischuria cum vesica nimis repleta adest, haud cunctandum, quin catheterem adhibeas.

Plura etiam disserere possemus de via, quae hic illic ingredienda sit. Quae quum ex indole cujusque casus propria sponte colligi possint, ab hoc labore carebimus.

Postremo ad valetudinem restituendam balnea tum fluvialia, quum marina egregiam exhibent utilitatem, id quod Abercrombie jam significavit.

De curae tempore in universum certi nihil constitui potest; id enim imprimis de gradu pendet, ad quem malum erat provectum. Nonnunquam intra paucas hebdomades valetudo restituitur, nonnunquam ne mensium quidem spatio

id consequi valemus. Quam maxime vero optandum erit in casibus gravioribus, ut medico plenam aegrotae fiduciam sibi conciliare et quandam in eam exercere contingat dominationem. Etenim non dubium est, quin hac ipsa re sanatio multo facilior reddatur, ita ut interdum mala plane inveterata brevi tempore et in perpetuum dimoveantur.